

Sit opelle caussa finisqve DEUS!

Meditatio PHILOSOPHICA,

SOLIDÆ & sine FUCO

VIR TUTIS

LINEAMENTA QVÆDAM

exhibens: quam

Cum consensu ampliss. FACULT. PHILOS. ABOENSIS,

Sub moderamine

VIRI CL.

Dn. ALGOTHI A.
SCARIN,

Histor. & philosoph. civil. Profess. ordin.

in publico sapientia virtutique operantium confessus

ad diem 2^o Septembr. CCCCCXLIV.

defendere conabitur

auctor & alumnus Reg.

JOHANNES HENR. LIEBERWIGTH

Junecopiam Gotbus.

loco horisqve solitis.

ABOÆ, prælo Joh. Kiæmpe R. U. Typ.


Omnibus & singulis,
OMNIUM ORDINUM
CANDIDÆ VIRTUTIS
STUDIOSIS,
pia vota, officia!

Quod iis solum, qui vita solidaque virtute instructi sunt, ad gloriam & amplissima decora quæcumque via sit proposita, omnes, qui rationem ducem sequi volunt, unanimi ore voceque fatentur. Ast in quo genuina Virtus consistat, de eo conciones fere non conveniunt, nec definire sustinent. Sunt, qui munera naturæ, si quæ eminensiora concessa fuerint, tanti estimant, ut iisdem se supra alios ascendere posse sperent. Rursum alii larvam, ne cito quam umbratilē, sive ac specie simulationis ostentant, eandemque splendide virtutis nomine condecorare nil pensi habent. Ultraque vero turba h. minum ista solo contenta cortice ad medullam non penetrat; hincque vere glorie neque capax est, nemus particeps illius evadere potest, quamdiu ob'iquam magis quam prætoriam viam sequitur ad bene beatique vivendum. Est utrinque partis misera admodum conditio. Cumque itineribus nonnisi deviis proficiisci eosdem animadverteam, quæ atia eademque meliora multo recte agendi & bene vivendi consilia sint capienda iis, qui in his terris boni fruendi appetitu afficiuntur, per transennam adspicere, a curriculo, quod impreſentiarum mibi decur-

rendum, non omnino alienum existimavi. Fateor moliendas
tantae rei, viros non respondere meas; sed cum veritas, ut
Plutarchus ait, etiam sine ratione ducat, & paucis
comprehensa brevitas, multarum lœpe rerum expe-
ditionem habeat, Veniam. si quâ parte deficiant vires
meæ ab equanimitate Vestrâ, FAUTORES honoratissimi, enixe
peto, mihique presto fore tanto fiduciam promitto, quanto
de vestris moribus usus ipse rerum certo testetur, quod verae
virtutis amoribus, plus quam dici potest, mancipati sitis.
Faveite igitur huic quantulecumque cunctationi meae, primi-
tiisq; satisfactionis hinc auram benevolentiae vestrae adflare sinatis
obsecro! ut in frugem eandem, si volete DEUS, succrescant ma-
turescant. Id in fine rogo, ne nauseam Vobis moveant aut dis-
plicentiam colla & recocta sepius; nostra enim optime, quam
arte virtutū documenta sint confixa. Est illa veritatis
vis, ut quo propius ad eam accedimus, eo inter cur-
tendum freqventius in eandem incidamus. Ego vero in
snu letabor, si vita & actionum humanarum contemplatio-
nes hinc, & ex illis natae, tempore nonnullo observatio-
nes aeqr̃s bonique consulueritis, &, quâ convenit animi
firmitate, profectuum experimenta majora, quam quas hec
inculcantur, ipsi reliqueritis.

vakuum etiam. sicut hinc natus. omnes vero, nihil
in. 2671947 vides haec. quoniam tamen est. ut dicitur.
etiamq. & secundum monachos. sunt omnia. ut admodum
sexu munita. quod est. quod est. ut dicitur. si ratiocinatio
vixit. in aliis. sicut. sicut. sicut. sicut. sicut. sicut. sicut.
sicut. sicut. sicut. sicut. sicut. sicut. sicut. sicut. sicut. sicut.
sicut. sicut. sicut. sicut. sicut. sicut. sicut. sicut. sicut. sicut.
C. PLINIUS. lib. III. epist. 18.

PRÆCIPERE qualis esse debeat Princeps,
pulchrum quidem, sed onerosum, ac prope
superbum est: laudare vero optimum Principem,
ac per hoc posteris velut e specula lumen, quod
sequantur, ostendere, idem utilitatis habet, arro-
gantiae nihil.



A. D. I. D. A. D.

APHORISM. I.

Quae ore fere omnium, diversa sicut ratio-
ne celebratur; cuius vero germanam vim
patuci sunt, qui sentiant, vera *VIRTUS* est.
Hæc non unice quærit, quæ agi debeant,
sed promte quoque operi faciendo manus admo-
vet. Scilicet veritatem cognitam vivendo strenue ex-
sequitur. Factis declarat, quæ didicit. Ut scit, vivit.
Hæc ex conscientia, non solum scientiâ integrita-
tem suam metitur. Unde videre est, quam ar-
ctum hanc inter veramque sapientiam connubium
intercedat.

Aphor. II.

Cultor hujus intelligit, ut Opificem suum agno-
scat. Ideo vult, ut Eum amet. Meminit, ut
perficiat mandata Numinis. Sentit, ut Ei serviat.
Loquitur, ut DEI O. Max: merita decantet. Quid
quid meditatur & peragit, ad ipsum refert, tan-
quam metam finemque ultimum. Diem perdidisse

A

se

se credit, in quo pro modulo, nihil exigui ad illu-
strandam DEI gloriam, actum fuerit.

Aphor. III.

CUm ratione igitur, pia, non ad vanitatem super-
stitionis vera virtus est. Tantum abest, creatis
rebus inhæreat, ut potius tota DEO adqvielet, in
quo invenit, quod qværit, in quo summum perfe-
ctionis complementum est. Creaturis qvidem u-
titur, ast velut tesseris bonitatis divinæ. Numine
solo fruitur, in quo appetitus est requies, securitas fru-
tionis, gaudiumqve tranquillissimum. Illud amat pro-
pter se, idqve indesinenter.

Aphor. IV.

VEra virtus credit, quod nondum videt; sperat, quod
nondum tenet, optat, quod nondum possidet (*).
Præsentem vivit vitam tamquam in hospitio, jugiter,
ad qvæ contendit, æterna cogitans palatia. Hinc cum
imminet, jamjam felix est, gloriofa, sapiens; quam-
vis a seculi filiis reputetur insana, ignominiosa, mi-
sera.

(*) JOAN. BONA Part. I. §. XXI. Princip. et docum. vita
Christi.

Aphor. V.

Necessariò non agit, libero pollens arbitrio. Ne-
que tamen ex illius instinctu solo ad metam sibi
propositam tendit. Agitationem suam omnem ex vo-
luntate DEI meritur; ita omnino, ut subeundam
pro ipsius nomine periculum nullum subterfugiat.
Esto! promissa operantibus sciat præmia; solum ta-
men DEI agit intuitu, ex affectu, non contractu,
cum

3

cum non sit mercenaria. Ipsa agit, suis tamen viribus, nō vindicans. Modesta est, summa cum excelsitate animi; Divinæ gratiæ, quæ facit, accepta referens,

Aphor. VI.

SEmper idem vult, & non vult. Vult honesta, non vult nefanda, turpia. Bona malaque animi solius voluptate pensitat. Ambit honesta, cupid utilia, delectatur jucundis; nulla tamen eam ambitio lacescit, nulla difflit libidine, nec macerat eam avaritia. Sui semper juris est, virtus licet circumstent & obstrepant. Hinc semper dominatur affectibus, adeo ut ne efferatissimi quidem jugum rationis executere queant.

Aphor. VII

MOribus se dignam augusto nomine suo complebat. Qvisquis ad illius familiam pertinet, non gloriatur titulo, nec opera sua estimat. Scilicet: non mercedis vel laudis studio, sed virtutis amore præclara perpetrat. Seipsum nescit, tanquam mortua esset, virtus, dignitate licet inter omnes emineat. Non videri, sed esse vult. Proficere cupit, non confici. Adeo humilis est, ut ex necessitate potius, quam soluto pectore facta ejus provenire crederes. Et quamvis nullam gloriam appetat, cum nulla egeat; undique tamen resonant ipsius encomia. Creatorem ipsum gratia & honore auctiorem esse vult, celebratque illum, in cuius oculis gloria est. Venerantur & observant eam boni. Extollunt ac collaudant bolucres sine corpore mentes. Admirantur animo

eandem & prædicant, neque inviti, ipsi saepe olores ejus & adversarii.

Aphor. VIII.

Una est Virtus; & tamen multiplex. Una animo voluptas illius resideret; quamvis multiplex sit in officiis. Quidquid honesti sit, una facit, sed de consilii sententia (*). Solis instar, excellentia ejus in centro tota est. Scilicet, multiplicat se spargendo radios. Intus habet, quidquid in fronte conspicitur. Interiori exterior vita concordat. Ipsa ubique sibi par, una est & eadem. (*) *SENECA Epist. LXVII.*

Aphor. IX.

Aggressurus officium asceta (*), ad omnes rei negotiorum serio animadvertisit, finemque contemplatur præcipue. Cavet in progressu, ne inadventitia vel prætextu aliquo saltem subtili, a recto amoveatur tramite. In exitu, ne præpostera sui complacentia vel laus mentem subrepatur, honestaque actionis gratiam conspurcat. Ne in defectu vel excessu delinqvat, curæ ipsi cordique est.

(*) qui exercitorem virtutis strenue agit.

Aphor. X.

Vivit, non tanquam propter corpus, sed tanquam non potest, sine corpore (*). Hinc illud, ut valeat quicquid curat, castigat vero, ne insoleat. Principem ipsi curam facessit pars illa sui nobilior anima, ut integra ea sit sibiique constet. Sicque honeste se aestimat, ne intereat. Interim damnum timet maximum: perdere salutem nullis terminandam leculis. (*) *SENECA Epist. XIV.*

Aph.

Sola virtus celsa spirat, magnanima est, æquani-
ma. Premitur tribulationibus, sed non frangit-
ur. Palmæ instar oneri non cedit, sed crescit sub
pondere, hoc est, inter angustias silet & in silentio
vincit; docilis pati, verum vinci indocilis. Hanc
neque blanda, neque minax fortuna de gradu dei-
cere potis est. Prosperis utitur, ne officiant, ad-
versis, ut conducant. In altum assurgit, cum ani-
mum despondent alii, quosvis fortune ictus invicta
excipiens. Valet in omnes partes elatio & altitudo
animi ista; ad securitatem imprimis, ne sœvienti-
bus fortunæ turbis, quæ non nisi insimâ regione
oriri solent, subvertatur.

Lenis, sed sine vitio est, placabilis & mansuetus in-
genio, licet odio furoreque eam persequendi
multi exardeant. Cum vilipendent, humilius est. Cum
convitiis prosequuntur, patiens. Affligant licet in-
juriis, placida tamen illa est. Maledictis lacestant,
generosa manet mansuetaque. Non veretur diffama-
ri ab infamibus; novit enim exinde se deteriorem
non evadere: malos autem, quod dolet, seipso
perdere. Hinc ferendo non feriendo eos vincere
amat, impetusque calumniarum eludere innocentiam. Est
igitur omnibus, quæ tenet æther & orbis, celsior,
universo mundo major. Ruit hic in interitum &
mutatur indies; ast motus nulli, contumeliaz odiave
hanc

hanc commovere valent vel deprimere. Mensis
ubique gaudet serenitate eadem, inconclusa fruitur
constantia.

cfr. *M. AURELIUS ANTONINUS Imperator*, Lib. XI; §.
XIII. τῶν εἰς σαύτερν. edit. Gatacker.

Aphor. XIII.

NEmini quidem virtutis alumnus irascitur; o-
mne enim oditam damnat & cane pejus atque
angue fugit. non facere alteri vult, qvod sibi nolit
fieri. Inimicos tamen odit, simul ac diligit. Odit
rabiem, lædendique propositum: diligit DEI crea-
turam, imaginem. Male habet, & benefacit. In-
crepat & simul contulit. *Ut tollat delicta, toleras.*

Aphor. XIV.

PACIS amans & studiosus est, sit licet ei necessitas
semel imposita defendendi, ab EO qui coronam
tolli non vult sine certamine. Cingunt ipsum ac ob-
sident agmina insidianum, blandientium, irritantium.
Horum venabula, plagaq; quamvis evadere tenter; in
aciem nihilominus tamen, opibus instruetus, procedit,
strenueq; luctatur, non neclius venire posse nullos si-
ne Marte triumphos. Qvod si pugnam ambiguam fo-
re viderit, non despendet animum, sed colligit, ho-
stesq; iterum vehementiori, ac antea impetu ado-
ritur, ut prosternantur, succumbant. Luctam bre-
vem cogitat, æternum trophyum. Hoc, quamvis
non efflagitet, haut recusat tamen. Potius ani-
mum addit, ne arenam prius derelinquit,
quam hostes devicti sint, triumphumque ipse re-
por-

portaverit. Nunquam a studio vitia persequendi
cessat, cum discrimen esse de palmâ, an retineatur,
vel pereat, noverit. vid. M. A. ANTON. Lib. VII. §.
LVII.

Aphor. XV.

SUa est virtus, ubicunque est, quamquam in multa
distrahitur. Periclitatur in occupationibus,
non praepeditur, quin stadium inoffenso pede per-
currat. Se non impedit, rebus licet operam impendat.
Nec, labyrinthi instar, negotia eam implicant, ne se
expediat. Rebus duntaxat se commodat, non tradit.
Hinc curis distracta licet, vitia dediscit. Est diligens,
non nimis præceps. conf. EPICETIUS in Enchir. Cap. XIII.

Aphor. XVI.

Est egens, sed & juxta divitiis beata virtus. Sicit &
fatiatur; omnibus tamen rebus hujus seculi ren-
nuntiare promptissima. Quidquid harum ad se perve-
niat, quidem capit, interim tamquam e sublimi
prospicit despiciique hujusmodi atomos vanitatis-
que trophaea, non nisi a vanis custodienda mentibus.
Hinc sollicita opum adquisitio immortalem eam
non inquietat, neque eandem contristat perturbative
earum amissio, si possesse effluxerint. Etenim
non, quae sua sunt, perdit, sed solum repetita reddit
aliena. Non nocet absentia opum magis quam
presentia, cui cuncta saluti sunt; semper tamen
sufficientes ei opes suppetunt, quae sua sorte conten-
ta est.

Aph.

Apbor. XVII.

Sibi vera virtus amica est, & tamen sibi non indulget. Hinc neminem judicat, ne ipsam semet condemnat. Aliorum festucas notare non vacat, cum probe perspiciat, quantum bonæ frugis habeat facta nosse propria, quamqve una, ante omnes, necessaria sit scientia sui. Primo igitur se loco scrutatur, antequam, quo sine hoc vel istud alter fecerit, querat (*). Quinimo, leipsam insidiatoris instar observat, ut sua animo neqve latere queant vicia. Haec excutit, non excusat; primum accusatoris vices gerens, dein Judicis; utriusq; fori tamen incolumi justitiâ. Quidquid de die dixerit, egerit, vespere revolvit, pericruratur. neq; pendet ex crastino. (*) ANTON, Lib. X. § XXXVII.

Apbor. XVIII.

UT animum suum explicet cultor hujus, solitudinem in optatis habet; sic alienus a curis seculi. Viris tamen probis se non subducit, qvin crebra eorum oblectetur consuetudine. Otio tranquillo & negotiolo illo nil sacrum magis existimat, Isto, non pingue magis alibi animi pabulum quærerit. Ex illa coniunctione, magna hominum in homines commoda redundant, cum hi soli homines sint, &, judge SENECA, amici, qui amant h. e. operâ consilioque interviunt. Virtutum a. simulachra alta mente reposita habet, eademq; nunquam non in oculis gerit, quamvis non sensus afficiat mens ipsa, & mirabilis praesentia formæ illius. Recreat illa animum, cuius unicum oblectamentum est virtutis exercitium.

Apb,

Apbor. XIX.

More histriorum, si qvæ bene egerit virtutis amator, non omnia statim in prodigium trahit, & deum peractâ fabulâ, larvam deponit. Potius simplici & sincera indole, tramitem calcat, qvi ad palmas laurusque dicit. Qvo verò magis arduum est ad gloriæ culmen iter, eo ardentius ad fastigium annitur; splendorem & utilitatem, & qvæ cetera ex rebus gestis esse possint, ad rem publicam omnia referens. Hinc pie in omnes & singulos animatus, perlonam sic gerit magnanimi, ut ubique integritas resplendeat. Si accidat ut militarem virtutem pluris faciat, qvam pacatam gloriam cives & socios suos servandi, fortis viri nomen non interito ore domi solum, sed foris & in castris etiam aperata professione gerit. In periculum non impellitur sua cupiditate, qvæ conjunctam habet ferociam & aliorum hominum despicientiam, sed utilitate communis. In togâ cremorem & cætera suaviora terræ edulia non carpit, & cum res poleit, leporis in modum galeati, se discrimini subducit. Vitam qvam patriam prodere, suisqve privatim amoribus nuncium remittere, qvam sinistris naturæ signaturis devestari famam suam conscientiamqve mayult.

Apbor. XX.

IN hac vita licet ulla neqve graduum perfectio obtineat; vivendo tamen, qvi perfectus esse discupit, ad perfectionis apicem, dum spirat, adspirat. Hunc conseQUI, qvamvis in arduo posita res sit, Divino suffultus auxilio, tamen de felici exi-

tu non desperat, qvidqvid in adversam partem urgeant cupiditatibus suis fascinati inescatiqve homines. Est via huic munita, qvamvis non expedita, et si non lata & ampla, callium anfractus tamen suis neqve destituuntur amoribus. Tantum illuc perveniendi desiderium, quantus dolor, quod nondum pervererit. Tanta contentio virium, qvanta illa esse, que summa est, solet. Procul autem abest, eadem sit secura & gradum suspendat.

Aphor. XXI.

Non ludicum, neqve inhumanum decorum est ius, sed honestati conveniens est. Ingenuè, non ob gratiam laudat: neqve probat propter commodum, sed propter rei veritatem. Nescit adulari: vera dicere, consilii sui finit. Humilis animi & virtutis præparcæ, ampullas & fesquipedalia ad invidiam usqve teatatur. Nostræ fugiens, qvæ in frontem modo pulchra sunt, honestatem opere atq; sententiâ metitur. Non perdit verba, ne dum temerè protusis iisdem aliis molestus est. Opinioní aliorum se conformat, non quaatum mos, sed quantum ratio honestatis permittit, bonorum stans vnice eorumqve se conformans judicio. Quid? qvod confunditur, sicubi honesti in re qualibet limites migrari videtit. Jocos qvidem, sed parce admittit, eosdemqve comptos, vrbanos, saleque conditos, ut remittatur. non vero solvatur animus. Inventa humana non promiscue arripit, qui place re studet honesta saltem ratione, omni procul faces-
tere

sere justa mimicā levitate. Vestibus utitur, queis corpus, non vitia tegat, cum pudica sit, non insolens vel temeraria ejus indoles. Hinc munditiem sectatur, sed non mollem neque supervacuam. Solidis gestibus virtutem sibi nullam persuadet, sed quae inest animo, eis exhibet conspicuam, ut loquitur Verulamius.

Aphor. XXII.

PArce & rarerter virtutis hujus amore perceluntur homines. Ratio in promptu est, quod sensuum delusi præstigiis, aliam ac habet, sibi pingant ipsius faciem. His deformis est, quamquam formarum venustissima. Qibus placet pro Iuno nubes, non virtus, sed ipsius saltem ostentatio, agyrtarum mores referunt; illis simillimi, qui splendore religionis ejus præstantiam aestimare solent. Ita vero ad perfectionem initiatæ virtutis vinculum solvit, eademque a vero fine disjuncta convertitur in phantasma imaginationis. Quia a DEO originem trahit, nobilissima est: sed opinionis vanitate, ceu secreta abs tano atque religione, reputatur. Nullius licet mali sibi conscientia sit, quasi causa ceciderit, nihilominus tamen diris devovetur damnatur atque proscriptitur.

Aphor. XXIII.

UT cætera persequuntur. Qui virtuti litant sic vivunt, ut ad imitandum alios excitent, imo impellant. Confirmatur animus magis cogitatione excellentium virorum, quam vibrantium acumine

sententiarum alii, qui majorē literis atque vocibus quam exemplis fidem adhiberi volunt. Quin, in theatrū mundi prodeunt, non ut ipsi splendeant, verum aliis præluceant, meliores faciant, & ipsi fiant. Quidq; igitur pectore volvit, ut ex fronte emineat, fatigunt; ut videant homines, & quid in rem sit, ipsi tibi defumant. Sic semet iplos tanquam speculum aliis inspiciendum exhibent. Sic imitamento aliis, ac emolumento sibimet ipsis esse allabrant.

Aphor. XXIV.

Comentarios, si quam ab antiquitate sanā copiam eorum festivam habere poterit, volvit & revolvit homo virtuti veræ deditus. Parcērias & apophlegmata ab iis profecta, qui rerum ulum sibi comparaverunt, cedro & auro cariora reputar, utpote quæ saniora consilia menti plerumque institlare solent. Sunt hi tanquam bortus amoenissimi, in quo sparsa ab honestate semina rerum salutarium efflorescunt. Hic deambulans carpit dictorum violas, exemplorum hyacintos, sententiarumque lilia, quibus instar apum incubat, nec prius avolat, quam dulcissimum mel hancum in succum sanguinemque converterit. Libros quamvis splendidissimos, sed angue in herba latitante pejores, avertatur & refugit. Scilicet, non præcise lectiones quæ delectant, sed ex quibus fructum capiat uberrimum, lectatur.

Aphor. XXV.

Porro, si ex conscientiâ Virtutem penitare lubeat, eadem gaudet devota, sed non nimis scrupu-

pulosa, qvoniam unica ipsius cura est vitam prudenter & consulto disponere, h. e. advertere, ne quidpiam vel minimum divino aduersetur instinctui, sed rationi optime conformatae conveniat. Insuper tranquilla est, nihil in sinu gerens, qvod palam metuat, culpæ, dedecoris, pœnæ.

Aphor. XVI.

Virtutis hujus conjux est vera sapientia. qvæ eandem regit, ne plebejis in transversum agatur opinionibus & religionibus. Docet eam rerum tenere ideas; non ut predicanter, sed qvâ dignæ sunt. Hujus, puta, sapientiae est, vera ab imaginariis discernere: necessaria utilibus præferre: præ jacundis, qvæ utilia sunt, commendare: quanti noxiis antistent salubria, dijudicare: res severas a iudicris & puerilibus distingvere. Duce ac informatrice hac, recessus rerum etiam abditissimos penetrat, debita iis pretia statuit, tempusque ipsum, cujus unius honesta est avaritia, recte collocare docetur.

Aphor. XXVII.

PAUCIS: qvi sub virtutis vexillo militant, nîl age-re student, qvod non rectum; nîl dicere, qvod non verum, nîl animis volutare, qvam qvod honestum est. Sic vivunt cum hominibus, tanquam DEUS videat, sic loquuntur cum DEO tanquam homines audiant. præstantqve ut ex ore pax, & oculis castitas, ex operibus caritas, ex corde omnium horum causas pietas reluceat. Capias Tu compendium hoc succinctumque documentum virtutis solidæ.

(*) SENECA Epist. X.

Aphor.

HÆc Virtus semper perduratura est, nec unquam ut vere Seneca, in tantum corrasceret nequitia; nunquam sic contra virtutes conjurabitur, ut non sapientie nomen venerabile & sacrum maneat (a). Qvæ cum ita sint, homo virtutis, ne improviso opprimatur, actus cum culpa suscipiendo nunquam locum facit. Vigilat attente, ut cum Imperator jussierit, stationem vitæ præsentis, non gemens, neque imparatus, relinquare queat. Qvod sèpius experiri non licet, per omnem vitam addiscit, mortemque quia non nisi semel obire, homini constitutum est, quotidianus moritur. Numine invito utut nihil sibi obtingere posse confidat, qvovis tamen die mortem oppetrere animo paratus est, dum vitam tantum intermittit, non plane amittit, lubeat Imperator de præsidio & statione vitæ discedere: seqvitur ipse non difficulter. Pro munere mortem accipit, qvippe quâ cum ex longa navigatione in portum venturus est, vasa inde in tempore colligit ac disponit, qvæ transeunti viatico, & diutius in statione moraturis usui cedent in futurum. Sic accinctus, mortis, cum adventaverit, sensu non percelligitur. diem nimirum adfore novit, qvæ discussa hac crepera nube, in liquidam lucem ipsum reponet; quam tanto ardentius exspectat, quanto omni ex parte consummata obtinebitur felicitas, perfectioqve virtutis illucescat omnis BONI plenitudine cumulata.

Apber.

(a) Epist. XIV,

Aphor. XXIX.

HÆc autem rara avis in scholis est , rarer inter commercia , rarissima in aulis regiisqve sedibus : saepe vila in locis solitariis . Multi sunt , qui virtutem veram jactitant ; pauci , qui revera possident . (Aph. XXII .) Ubique pericitatur , ubiqueqve fere exulat (*) Sordescunt solida , & crepundia ad inopiam & dolorem placent . Sed o mortalium pectora , quantum cœcæ noctis habetis ?

(*) conf. Lib. V. §. XXXIII. ANTONINI. Imperat. operis jam ante citati .

Aphor. XXX.

HÆc pauca sunt , L. A. quæ festinatio nobis excusabit , quæq; lineamentorum Virtutis nomine tibi sistimus . Palma in medio est posita , si potes rapias . Neque enim inhonesta rapina est . Quære virtutem , & felix eris . Divinae liberalitati acceptam refer , & vocaberis sapiens , inventam verò arcte custodi , ut beatus (en prinç von Utanien) per secula salutiris .

Soli DEO , cui summa Virtus omnisqve perfec-
tioris ratio inest sufficiens , sit in excelsis
GLORIA .

